

9	AAS XXII (1930) 195-196	Can. 111 §2 — can. 955 §1 — can. 396 §2 — can. 914 — can 1099 §2 — can. 1513 §2 — can. 1971 §1 n. 1 §2
---	-------------------------	--

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

ACTA OFFICIORUM

195

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Em̃i Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE COLLATIONE PRIMAE TONSURAE

D. An vi canonis 111 § 2, conlati cum canone 955 § 1, Episcopus alienum subditum sine legitimis proprii Episcopi litteris dimissoriis ad primam tonsuram promovere licite possit.

R. *Negative.*

II. — DE OPTIONE

D. I. An vi canonis 396 § 2 prohibeatur optio ad praebendas quomodocumque canonicae seu titulo canonicali adnexas.

II. An vi eiusdem canonis prohibeatur optio etiam ad domos, praedia aliaque a praebendis canonicalibus distincta.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

III. — DE BENEDICTIONE PAPALI

D. An Episcopus, plures habens regendas dioeceses, in earum altera benedictionem papalem Paschati Resurrectionis adnexam, de qua in canone 914, iure proprio in aliam diem transferre possit.

R. *Negative.*

IV. — DE MATRIMONIO FILIORUM APOSTATARUM

D. An sub verbis *ab acatholicis nati*, de quibus in canone 1099 § 2, comprehendantur etiam nati ab apostatis.

R. *Affirmative.*

V. - DE ULTIMIS VOLUNTATIBUS

D. Utrum verbum *moneantur*, de quo in canone 1513 § 2, sit praeceptivum, an tantum exhortativum.

R. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

VI. - DE IURE DENUNTIANDI NULLITATEM MATRIMONII

D. An coniuges qui, iuxta canonem 1971 § 1 n. 1 et interpretationem diei 12 Martii 1929, habiles non sunt ad accusandum matrimonium, vi eiusdem canonis § 2 ius saltem habeant nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi.

R. *Affirmative*.

Datum ex Civitate Vaticana, die 17 mensis Februarii anno 1930.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses*.

L. S.

I. BRUNO, *Secretarius*.

PONTIFICIA COMMISSIO PRO RUSSIA

PROVISIO ECCLESIAE

Ss̄nus Dñus Noster Pius, divina Providentia Papa XI, decreto Pontificiae Commissionis pro Russia, edito die 23 Ianuarii 1930, titulari archiepiscopali Ecclesiae Bosporanae praeficere dignatus est R. P. D. Iosephum Kessler, hactenus Episcopum Tiraspolensem.